



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Cap. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

*Et matutinus fulgor, noxque orta tenebris
Tartareis, ductum pedibus regimēque negabit.*

21 Et transibit per eā,
& corruet, & esuriēt;
& cum esurierit, irasce-
retur, & maledicet
Regi suo & Deo suo,
& suspiciet furtum.

*11 Illi precipites nullo impellente ferentur
A via per, salebrāsque scabras, abruptaq; saxa.
Deficiet victus, turpisque sequetur egestas,
Qua miseris bilem in nares irāmque ciebit
Pectoribus: tum in sta ferent conuitia reges,
Dūq; impostores, manēsque haud ritē vocati.*

22 Et terram intuebi-
tur, & ecce tribulatio,
& tenebræ, & disso-
lutio, & angustia, &
caligo persequens, &
non poterit auolare
de angustia sua.

*12 Frustra oculis lucem celo terrāque requirent,
Nox illam densa eripiet, tenebrāq; perennes,
Horror ubique & ubique metus exanguis in artus
Peruadet (ferale malum) genua agra fatiscunt,
Nec seuo dabitur finis. -ve modus-ve dolori,
Quā diu homo affixi calum calique parentem
Negligere audebunt, sua somnia vana secuti.*

Cap. 9.

1 Primo tempore al-
leuiata est terra Za-
bulon & terra Neph-
thalin, & nouissimō
aggrauata est via ma-
ris trans Iordanē Ga-
lileæ gentium.

*1 At non aeternum pietas oppressa iacebit,
Sed Domino celi terras lustrante resurget.
Tum primi populis animi, verāq; redibunt
Virtutis sensus & libertatis amantes.*

2 Populus qui am-
bulabat in tenebris
vidit lucē magnam:
habitantibus in re-
gione vmbre mortis,
lux orta est eis.

*Prima iugum excutiet Zabulon, quam leta sequetur
Nephtalis Assyrj prima crudelia quondam
Vincula seruitij experta, mox ad mare gentes
Qua trans Iordanem Galileia regna frequentant,
Exilient posito ad lucis noua signa veterno.*

3 Multiplicasti gētem
& magnificasti læti-
tiam; lætabuntur co-
ram te sicut qui lætā-
tur in messe, & sicut
victores capta præda,
quādo diuidūt spolia.

*2 Et populus longo torpens qui tempore densis
Sederat in tenebris, & opaca mortis in umbra,
Ex oriente die præclara luce fruetur.*

4 Iugum enim onctis
eius & virgā humeri
eius & sceptrum ex-
actoris eius superasti
sicut in die Madian.

*3 Quā lato lux illa tua Dux optime mentis,
Quāque saluari terris felicibus ortu
Fulserit, aucta docent radiati gaudia mundi,
Quisque novos sibi post tenebras gratatur honores:
Non secus ac gelida post horrida frigora bruma,
Veris que æstatisque metus, lætatur agellum
Maturis flauum prospectans messor aristis,
Aut miles sacris affigens postibus arma,
Captiuāque domum reuehens post prælia prædam,
Militiæ creperos gaudet memorare labores.*

*4 Magna quidem causa est, & qua non iustior vlla
Latitiæ: nam tu Deus, o Deus, æthere ab alto
Despiciens terras, crudelis dura tyranni
Imperia, & solium & virgam exactoris acerbi,
Qui genus humanum iam dudum victor iniquis
Legibus, & magna seuis ditione premebat,*

Fregisti,

Cap. 9.

Ex his tri-
bus pteri-
que Aposto-
lorum fuerit,
quod & Ma-
thæus Euā-
gelia innuit.
Cum enim de
eorū vocatio-
ne agit, primū
per fines
Zabulon &
Nephtalim
Iesum deducit:
postea
quemadmo-
dum illos de-
legerit, prudē-
ter subiungit.
Vide ca. 3. vbi
hunc ipsum
locum citat.

Secundum
litteram hæc
facta sunt, i-
zechia regnā-
te, cum missi
set ad decem
tribus Israel
hortatos ut
relictis impijs
superstitio-
bus, ad veram
pietatem &
veri Deicultā
redirent. Videt
Iosephū An-
t. lib. 9. ca. 10.

Exactor hic
Satanas est &
ministri eius.

*Fregisti, sine cade fugans, sine sanguine vincens:
Ut quondam Gedeon Madiamica castra crepante
Collisorum utrium fudit, strauitque fragore.*

*Scilicet omne malis stabilitum auctumque rapinis.
Imperium, quas vis & sector cogit acerbis,
Distringens ciues hastam gladiumque per omnes:
Non secus ac vestis faedo polluta cruore,
Quae nequit amne laui, rapidis datur ignibus vri,
Concidet horribili excisum euersumque ruina.*

*Hostibus eueniat nostris sub principe tali
Seruitium tolerare diu, durumque labores:*

*At nobis qui iura dabit puer editus ecce est,
Filius en datus est nobis, qui scepra paterna
Suscipiet, regnumque humeris imponet auitum.*

*Nomina multa feret nulli vsurpanda, sibi que
Propria, nam toto admirabilis orbe feretur,
Summaeque consilij consorsque caputque paterni,*

*Idem aui princeps instauratorque futuri,
Qui referet nobis primo concessa parenti
Munera, iamque genus mortale in pristina reddet,
Ignotas optata vias ad sidera pandens.*

*Quinetiam pacis princeps authorque salutis,
Paxque adeo nostra haud aliena voce feretur.*

*Illius imperium non sol oriens - ue cadens - ue,
Non rigor arctoi boreae, non finiet Auster:*

*Sed solio impositus Davidis, pace quieta
Perpetuaeque beans terras caelumque profundum,
Iustitiaque regens: populos, sua scepra per aenum
Firmabit, cunctisque bonus dominabitur annis.*

*Hac Deus armipotens faciet rata, gentis amore
Percitus ingenti nostrae, meritoque rebelli
Insensus populo, simulacraque muta colenti.*

*Imperij sedem fato decreuerat olim
Mansuram sine fine tibi fortissime Iuda,
Haud unquam mendax Dominus, generique tuorum
Scepra manu dederat, soliumque immobile regni:
Sed veluti sanctis fatorum legibus, ulli
Fas hominum foret obniti, menti que supremae
Vilis homo passet decretas vertere sortes,*

*Regnum vsurpauit genus Israele profectum,
Et diuina simul fraternaque iura resoluit:*

*Insano (bis quinque tribus) gens acta furore.
Audiant haec igitur quae numinis eloquor ore.*

Effrai-

5 Quia omnis violenta depredatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibum ignis.

6 PARVVLVS ENIM NATVS: est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, & princeps pacis.

7 Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum eius sedebit ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.

8 Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.

9 Et sciet omnis populus Effraim & habitates Samariam, in superbia & magnitudine cordis dicentes:

Imperium
Satanæ.
Regnum
Christi.
Egregius locus contra Manichæos. Vide Cyrillum.
Sex nominibus vocandum, author est hic Hieronymus. Nec bina iungenda, ut admirabilis consiliarius, Deus fortis, sed singula separata legenda vocabula.

Pacem nostram vocat alibi Apostolus.

Redit ad: in-
stitutum vates
& Samaritanæ
excidium.

Rediit
Iacob
cap. 49.

Effraideſque ſimul Samaritanuſque colonus,
Iactantes tumido (ſolito ſibi) talia corde:
Nunquam erit vt toties fuſi totiſque fugati
Tandem aliquando ſuas ceſſent extollere vires,
Signaque vicine victricia gentis adorent?

10 Lateres ceciderunt,
ſed quadris edificabi-
mus: Sycomoros ſuc-
ciderunt, nos autē ce-
dros immutabimus.

10 Nam ſi illi latere & limo ſua mania cocto
Præcingunt ruitura breui, nos marmore ſecto,
Nos ebore excelsas tollemus ad æthera moles,
Quas nulla poſſint iactu ſuperare ſagittæ:
Et ſi ſycomoris humiles agreſtibus audent
Aedificare caſas, nos alta palatia cedro
Imputre ponemus ſæclis manſura futuris:
Et nobis audent ſeſe componere tandem?

Arrogantia &
ſuperbia Iſ-
raelitarum
quorum typi
hæretici li-
gnantur.

11 Et eleuabit Do-
minus hoſtes Raſim
ſuper eū, & inimicos
eius in tumultum
uertet.

11 Hæc illi. Interea fati ſortisſque futura
Ignaris Deus ecce nouum Deus exciet hoſtem,
Aſſyrium, Raſim fuerat qui nuper amicus.
Ille omnem implebit ſubitus terroribus oram,
Pérque vrbes per agrosſque fugã trepidumq; tumultũ
Incutiet: 12 funeſta Syris ad bella vocatis,
Quaque orbem Titan radiis aſpergit eoſ,
Et noctem occiduo ſeram deducit ab axe,
Arma Paſtiniſ magno ſociantibus auctu.

12 Syriam ab Oriẽte
& Philithiim ab Oc-
cidente, & deuorabũt
Iſraël toto ore. In om-
nibus his nõ eſt auer-
ſus furor eius, ſed ad-
huc manus eius ex-
tenta.

Non feret effuſas vno ſimul agmine turmas
Turba pauens, ſed erit victoribus eſca cruentis
Ille ille Iſraële ſatus, tot regibus olim
Finitimis terror, populus, tot gentibus olim
Imperitans, dum ſacra Dei ritũſque manebant.

13 Et populus non
eſt reuerſus ad percu-
tientem ſe, & Domi-
num exercituum non
inquiſierunt.

13 Nec tamen aut dira permotus ſtrage ſuorum,
Aut nec dum vltoris placata territus ira,
Dextramque exertam aſpiciens ictũque minantem,
Vel ſerò ſapere, & Dominum ſe vertere ad ipſum
Auctorem cladis volet armorũque potentem,
Et veniam votis ſeramque expoſcere pacem.
Vſque adeò cæcæ rabies aget efferamentaſ.

14 Et diſperdet Do-
minus ab Iſraël caput
& caudam incuruan-
tem & deprauantem
dic vna.

14 Hanc igitur ſecem populi ſordẽſque rebellis
Proiciens abs ſe delebit funditus, vnõque
Et caput & caudam curuatam demetet ictu
Terribilis monſtri, quo non crudelius vllum
Per nemora & ſaltus, per agros urbẽſque venenum
Spargere lethiferum, variãſque inducere formas,
Et nunc alta ſequi magno ſublime volatu,
Nunc imis gradiens in ventrem ſerpere terris,
Vtrobique nocens, nulliũſque inſcia fraudis

Bellua,

Bellua; quæ magno cadet hostia cæsa Tonanti.

¹⁵ *Occidet & longo nuper venerabilis usu
Albæque honorandis velatus tempora canis.*

*Occidet & vates, misero mendacia cautus
Falsæque pro veris obtrudere verba popello.*

¹⁶ *Laudatque simul laudatorisque peribunt:*

Hi, quod venali fudere placentia lingua;

Illi, quod faciles assentatoribus aures

Præbuerint, pariter miseri, pariterque profundum

In mortis barathrum crudeli funere merfi.

¹⁷ *Non ergo ultorem sexus-ve atas-ve mouebit,*

Robora quin lectæ pubis florêmq; iuuentæ

Demetat, & ferro ante diem succidat acuto.

Non illi tristem pupilli audire querelam,

Non aurem flenti viduæ præbere vacabit.

Cur? nullus verum sentit dicit-ve, sed omnes

Ore loqui ficto mendacia turpia gaudent,

Nequitiamque boni titulo prætexere falso.

Propterea infesti nondum stat vindicis ira,

Sæuit adhuc, ardetque odiis, dextræque coruscant

Intentans per inane facem sua fulmina torquet.

¹⁸ *Vnde repentinos omnis considet in ignes*

Impietas, velut infelix & vepribus hirtus

Ardet ager, flammam cui sponte immisit arator,

Haud aliter potis incultos euincere sentes.

Mox surgunt nigri sinuosa volumina fumi,

¹⁹ *Et summæ densa obnubunt caligine siluas,*

Et saltus victrix populatur flamma propinquos:

Scilicet armipotente Deo iaculante, supina

Terra tremit, populosque vorant incendia fontes.

Quippe nefas nunquam fraternum haurire cruorem

Duxerunt, dextras in fontum cade rubentes

²⁰ *Tingere ludus erat, prædas agere undiq; pulchrum.*

Nec tamen ingluuiem poterunt placare profundam,

Non dextra saturi non sese explere sinistra

Contenti, proprios lacerabunt dentibus artus:

²¹ *Ipsi etiam gemini (dictu mirabile) fratres*

Manasses Effraimque petent per mutua sese

Vulnera, mox animis concordibus arma repente

Fratris in exitium vertent furialia Iudæ.

Iure igitur magni nondum stetit ira Tonantis:

Ardet adhuc, meritòque furit, telumque coruscans

Intentat dextra plagam vulnúsque minatur.

H

Vos

15 Longæuus & honorabilis, ipse est caput: & propheta docens mendacium, ipse est Cauda.

16 Et erunt qui beatificant populum istum seducetes, & qui beatificantur precipitati.

17 Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus, & pupillorum eius & viduarum eius non miserebitur: quia omnis hypocrita est & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

18 Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus & conuoluetur in superbia fumi.

19 In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis: Vir fratri suo non parceret.

20 Et declinabit ad dextram & esuriet, & comedet ad sinistram & non saturabitur. Vnusquisque carnem brachij sui vorabit.

21 Manasses Effraim, & Effraim Manassen, & simul ipsi contra Iudam. In omnibus his non est auersus furor Domini, sed adhuc manus eius extenta.

Hæreticos intelligit hic D. Hieronymus.

Perinam ac belluinam animi constitutionem de notat. Impij & hæretici inter se hostiliter affecti, tamen in paradisiis contra laudentem & consistentem Deum amice cogitant. Iudas significat confessionem.